

Quodq̄ tui fratres octo, tibi sanguine iuncti,  
 Viuus adhuc quorum pectora sanguis alit:  
 Sint tua deuotè vestigia clara sequuti,  
 Idq̄ ex instinctu vir generose tuo.  
 Quilibet atq̄ horum seruitia certa Monarchæ  
 Munere quod præstet vir venerande tuo.  
 Vltima nec laus est qua tu GIENGERE triumphas,  
 Dum te curarum grande fatigat onus:  
 Eqt̄ tuis humeris dum summa negotia pendent,  
 Quod faueas studijs nomine req̄ bonis.  
 Quod mihi ceu matri nutritia præmia reddas,  
 Et me qua possis parte iuuare iuues.  
 Est mihi si verum paucis fas dicere verbis,  
 Summus es ætatis Magne Vir huius honos.  
 Macte modo venerande senex, caput insere coelo,  
 Extende & meritis nomina parta tuis.  
 Omnia cum pereant, quæcunq̄ potentia mundi  
 Iactitat, exitio fama parata caret.  
 Mortis et est expers virtus, quæ sola triumphat,  
 Hæc etiam laudes tollet in astra tuas.  
 Vindicet & benè cum meritos à morte Poesis,  
 Tu mihi victura laude canendus eris.  
 Cum tua Mæonio dicent præconia versu,  
 Pegaseis vates turba dicata choris.  
 Quod facis, interea me quæso tuere clientem,  
 Vtq̄ tibi faueant fata secunda, Vale.  
 Vitus Iacobæus Poeta Laureatus.

EPIGRAMMATA

AD EVNDEM MAGNIFICVM D.

Giengerum, & fratres eius Viros nobilitate  
 & virtutib. claris.

Officijs præsent Diui cum Cæsaris omnes,  
 Quos non indigno fratris amore fones.

A ij Hæc